



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1663. usque ad annum 1674

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119193

§. 103. Tres Cardinales a Clemente IX. Papa renuntiati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67332)

erat, postea Pragensis Archiepiscopus Sæc. XVII.
 & Cardinalis ab Urbano VIII. absens A. C. 1667.
 renuntiatus, progressu temporis simul
 etiam Tridentinam Ecclesiam obtinuit,
 ac vigilantissimus Pastor commissas sibi
 oves singulari cura pavit, Ecclesiasti-
 corum mores correxit, Clerique disci-
 plinam non modo monitis & præceptis
 sed præcipue exemplis instaurare sate-
 git, templisque nitorem pristinum, aut
 etiam ampliorem reddidit. Innumeræ
 sunt calamitates, quas in Germaniæ
 bellis, præcipue in Pragensi obsidione
 ab hæreticis Suecisque perpessus est,
 quin propterea ab immoto fidei conser-
 vandæ studio, & suo grege ab hæresis
 peste aut præservando, aut revocando
 absterreri posset: tandem vero Viennæ
 die vigesimo quarto Octobris anno æta-
 tis septuagesimo secundo Purpuram cum
 vita exuit. Habuit in Pragensi Archi-
 episcopatu Successorem Comitem Gui-
 lielmum de Kolowrath, quo mox de-
 functo nominatus est Ferdinandus a Bi-
 lenberg Ord. S. Benedicti Episcopus Re-
 ginæhradecensis.

§. CIII.

*Tres Cardinales a Clemente IX. Papa
 renuntiati.*

Hoc

Sæc. XVII. **H**oc item anno diē duodecima Decem-
 A. C. 1667. bris Clemens IX. Pontifex Maxi-
 mus in Quirinali Palatio tres Cardinales, unum Presbyteris, & duos Diaconis Cardinalibus aggregavit. Horum primus erat Jacobus Rospilius Pape Nepos Cardinalis tit. S. Sixti. II. Leopoldus Medices Ferdinandi II. Magni Etruriæ Ducis Frater Cardinalis primum tit. SS. Cosmæ & Damiani, postea S. Mariæ in Cosmedin. III. Sigismundus Chisus Alexandri VII. Pontificis ex Fratre Nepos, Cardinalis tit. S. Mariæ in Dominica.

§. CIV.

Ejusdem Pontificis Constitutiones.

*Bull. magn.
 Const. Alexandri VII.
 & Clem. X.*

Non nisi duas Constitutiones Alexander VII. hoc anno edidit, jam gravi morbo præpeditus: die tamen duodecima Martii Patribus Congregationis Somaſchæ indulſit, ut ſuos Scholares, Clericos, & Alumnos in ſeminario, ſuiſque Collegiis, ſine præjudicio jurium Parochialium, Eccleſiaſticæ ſepultura tradere valeant, ita tamen, ut antequam eos ſepeliant, Parochos deſuper certiores reddant: die autem vigefima ſecunda Januarii declaravit, quod in duplicibus Miſſæ de requiem non celebrerent.